

XIII. Adhuc observandum, in hac tertiam partem fructuum non computari *distributiones quotidianas*, uti jam pridem notavit Auctor dictæ Analyt. & latius Broudaus ad Lovetium *Litt. P. num. 46.* monetque, quod dum succellor *per obitum* petit reductionem ad tertiam, tunc non habeatur ratio distributionum manualium: quæ in æstimatione valoris fructuum Præbendæ non computantur; quia non sunt de corpore beneficii, sed percipiuntur ratione servitii *personalis*, quemadmodum communiter tradunt Canonistæ: quod qualiter sit intelligendum, dicitur in titulo *De Peculio Clericorum.*

XIV. Notat quoque Flaminius Parisius De Resignat. Benef. *lib. 6. quæst. 2. num. 29.* quod "regulariter pensio super distributionibus quotidianis non constituatur." Rationem addit: "Quia distributiones quotidianæ non sunt fructus."

XV. Interdum tamen ex gratia etiam super distributionibus pensio conceditur, sed tum additur hæc clausula: *distributionibus quotidianis, & non nisi presentibus & divinis Officiis interessentibus dari, & per eos lucrari solitis & consuetis.*

Interim si beneficium habeat grossos fructus, & distributiones quotidianas, has non computandas in taxatione tertie partis judicatum fuisse an. 1614. ibi refert Broudaus; tamen si creatio pensionis contineret clausulam ordinariam: *super fructibus Præbendæ & Canonicatus, proventibus, & juribus &c.* licet ex consuetudine Ecclesiæ super cujus Præbendæ pensio erat creata, distributiones non darentur *ad manum*, neque *quotidie*, sed singulis mensibus tantum, & eorum loco darentur singulis Canonicis 30. libræ.

XVI. Id conforme est Edicto Regio anni 1671. quo expressè cavetur, quod pensiones tertiam partem excedere nequeant. Ait enim: *Sans diminution ni retranchement de la somme de trois cent livres, qui demeurera aux Titulaires desdites Cures & Præbendes pour leur subsistance par chacun an, franche & quitte de toutes charges, sans comprendre en la dite somme le Casuel & le Creux de l'Eglise, qui appartiendront pareillement aux Cures; ensemble les DISTRIBUTIONS manuelles qui appartiendront aux Chanoines.* Id est: *Fermè de verbo ad verbum convenit cum tertia citatione pagina 622.*

XVII. Ex hoc Edicto illud quoque manifestum est, pensionem, neque ad tertiam partem proventuum admitti, nisi detractâ pensione maneat *congrua* portio pro Titulari.

XVIII. Pensione simpliciter fructibus beneficii impositâ distributiones non debere computari, neque iis pensionem censeri impositam, etiam Doctores Ultramontani agnoscunt, & stylus Curie observat; Unde ex eodem stylo dum pensionem impositam volunt distributionibus, tunc imponitur adjunctâ clausula de qua supra *num. 15.* *Etiamsi in solis distributionibus & non nisi presentibus &c.*

XIX. Quod de distributionibus dicitur, idem dicendum de oblationibus five *incertis* accidentibus, uti monet Broudaus ad Lovetium *Litt. P. num. 46.* sub finem. Quod & sæpe citato Edicto Regio conforme est: dum non vult computari *casuale*, sub quo hujusmodi oblationes, tamquam incertæ & *casuales* comprehenduntur, nec magis nomine *fructuum*, ob suam incertitudinem veniunt, quam distributiones quotidianæ. Accedit, quod cum pensiones sint multis titulis odiosæ, ut supra ostensum est, merito veniant restringendæ; & per consequens, nomen *fructuum* strictè interpretandum: ut ita pensionis quantitas minuat, & proventus beneficii apud Titularem remaneant.

XX. Refert quoque Flaminius Parisius De Resignat. Benef. *lib. 6. quæst. 2. num. 32.* ex Gambaro, decisum fuisse per Rotam, "quod ubicumque requiritur *certum* servitium ad consequendum fructus, super illis non possit constitui pensio." Monet insuper notandum esse, quod neque possit imponi pensio super redditibus communibus, qui dividuntur inter eos, qui intersunt, *certis* temporibus,


licet de stylo interdum *communibus* de gratia.

XXI. Notandum, quod licet usus pensionum ex his appareat multum restrictus, nequaquam tamen hinc concludi possit, pensiones cum hac restrictione concessas esse omnino licitas & undequaque probatas, quamvis tolerentur; atque de his dicendum, quod supra capite 2. dictum fuit.

CAPUT VII.

De Clausulis in litteris pensionis apponi solitis.

1. *Quare conveniat has clausulas noscere?*
2. *Clausula exprimens causam assignatæ pensionis.*
3. *Clausula pensiones prius impositas habens pro expressis.*
4. *Stylus Curie habet, quod de pensione ante imposita sit facienda mentio sub pena nullitatis.*
5. *Nullitas præcavetur per dictam clausulam.*
6. *An hæc clausula semper hic admittatur?*
7. *Pensio solvi debet libera ab omni onere juxta clausulam apponi solitam.*
8. *Quomodo hic subinde aliqua moderatio adhibenda sit.*
9. *Clausula exprimens terminos solutionis.*
10. *Termini aliquando ad Postulationem Supplicanti-um mutantur.*
11. *Clausula continens censuras in non solventes.*
12. *Censuræ hanc non incurruntur nisi urgente Pensionaria.*
13. *In Gallia, & Belgio hæc clausula non habet suum effectum.*
14. *Clausula reservans regressum ob non solutam pensionem.*
15. *Ut hinc clausula locus sit requiritur sententia.*
16. *In Gallia non admittitur hæc clausula.*
17. *Quomodo succurratur Resignanti, si contra fidem datam pensio non solvatur.*
18. *Quid in Belgio servetur?*
19. *Clausula de non minuenda aut reducenda pensione.*
20. *Non obstante hæc clausula interdum reductio pensionis admittitur.*
21. *Clausula requirens consensum Pensionarii juxta Regulam Cancellariæ.*
22. *Hinc Regula subinde derogatur.*
23. *Hæc derogatio in Gallia non admittitur.*
24. *Clausula reservans pensionem, licet nullum jus cedenti competat.*
25. *An hujus clausula hodie aliquis usus?*
26. *Clausula exprimens tempus possessionis.*
27. *Rationes hujus clausulae.*
28. *Stylus Curie Romanae habet, ut Providendus de Beneficio juret, quod illi intendat deservire.*
29. *Simile observatur in Academia Lovaniensi.*
30. *In Gallia vix admittitur pensio causâ resignationis, nisi Resignans possederit 15. annis Beneficium.*
31. *Oportandum ut id ubique observaretur.*
32. *Qui plura habet Beneficia incompatibilia, non potest in dimissione unius pensionem reservare.*

I.  Um pleræque pensionum impositiones hodie expediri soleant in Curia Romana ex causâ resignationis vel permutationis, utile erit, præcipuas clausulas, tum in formula supplicationis, tum litteris provisionis de stylo Curie Romanæ adjici solitas, examinare; atque unâ annotare, quem usum, & vim hic in Belgio aliisque vicinis Provinciis habeant.

II. Prima eaque notabilis est clausula exprimens causam reservationis pensionis: *Ne ex sua resignatione ni-*

minum dispendium patiatur, de aliquo subrogationis auxilio providens &c.

Hæc clausula sufficienter indicatur, causam finalem pensionis esse *alimentationem* Pensionarii; & consequenter, nec mentem Pontificis esse, eam assignare his, qui *alimenti* non indigent, sed ea aliunde sufficienter habent, ut post Lotherium aliosque notat Barbosa in proœmio ad praxim exigendi pensiones *num. 7.* Verba ejus sunt: "Finalis causa est alimentorum suppeditatio, quocumque enim Jure Papa providet alicui sub reservatione pensionis, sive ex causâ simpliciter resignationis, sive ex causâ cessionis jurium, aut simpliciter pensionem reservet, tam in supplicatione, quam in proœmio litterarum inserit clausulam expressivam causæ hujus alimentorum, nam in causâ cessionis etiam ex concordia concipitur per hæc verba: *Ne ex cessione tua hujusmodi nimum dispendium patiaris*: & cum ex natura subjectæ materiæ id referatur ad personam Clerici dimittentis beneficium, vel jus in eo præ se fert intentionem Papæ eam reservandi in causam alimentorum, ut bene advertit *Hier. Gabr. cons. 187. nu. 11. lib. 2.* quem refert *Lotter. d. lib. 1. quæst. 35. n. 47.* Finis ergo est providendi egenis de alimentis, & ita supponendi necessario sunt termini habiles, videlicet superfluentia reddituum, in titulari, eo modo, quod eis simul possit de congrua sustentatione provideri.

III. Post clausulam exprimentem quantitatem fructuum seu proventuum Beneficii pensione gravandi, de qua capite præcedenti, sequi solet: *Etiamsi super illis (fructibus) alie pensiones, quas, illarumque summas &c. habere placeat pro expressis, & qua exprimi possint in litteris, aliis forsân assignatæ existant.*

Hæc clausula ideò adjicitur, ne si forsân aliqua pensio eidem Beneficio jam esset imposita, hæc posterior esset nulla.

IV. Inolevit jam pridem stylus Curie, quod debeat fieri mentio de prima pensione, & de alio onere in reservatione secundæ pensionis, etiam ex causâ resignationis: quodque pensio secundo loco reservata sit nulla, si non fiat mentio de prima validè reservata: uti post alios citatos tradit Flaminius Parisius *De Resignat. Benef. lib. 6. quæst. 2. num. 41.* Ratio est, quia Papa non intendit, nec velle præsumitur Ecclesiam duplici onere gravare; & quia pensiones cum magno moderamine Beneficium imponi debent. Unde & hic stylus Curie tamquam æquitati conformis ubique meritò observandus. Quare & Joannes Torneius in Collectione *Arrestorum Litt. P. numer. 88.* asserit, pensionem impositam Beneficio, *etiam motu proprio*, non valere si in signatura non sit facta mentio primæ pensionis impositæ.

V. Porro ex stylo Curie invaluit, hanc nullitatem præcaveri per hanc similemve clausulam generalem, tametsi in specie prima & antiqua pensio & beneficio imposita non exprimat; quemadmodum tradit Flaminius loco citato, & ita decisum fuisse in Rota.

VI. Verum si hæc pensio unâ cum antiqua, tertiam partem fructuum excederet, haud facile etiam cum hac clausula hic aut in Gallia admitteretur: eo quod revera hoc casu pensio plusquam tertiam partem proventuum absumat: quod haud facile hic admittitur.

VII. Vulgaris etiam clausula est, ut pensio sit libera ab omni decima, quarta, media, & quavis alia fructuum parte, nec non subsidio, etiam, charitativo & quovis alio ordinario, & extraordinario onere quomodolibet nuncupato, etiam pro fabrica Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Cruciatâ sanctæ & expeditione contra Turcas ac infideles, & hæreticos, ac quoscumque fidei Catholicæ hostes, ac pro Seminario puerorum Ecclesiastico, & quavis alia, etiam urgenti, urgentissima & necessariò exprimentâ causâ; etiam ad supplicationem Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum & aliorum Principum instantiam, Canonice, vel de facto, nunc & pro tempore impositis *Van Espen Jur. Eccl. P. II.*

Es quomodolibet imponendis etiamsi in impositionibus hujusmodi caveatur expresse, quod pensionari quicumque pro rata pensionum suarum quantumvis exemplarum præmissis contri buere tenentur.

Vigore hujus clausulæ Pensionarios eximi ab oneribus ipsi beneficio aut ejus proventibus quacumque ex causa, & quavis auctoritate imponendis haud obscurum est.

VIII. Si tamen tanta esset onerum impositio, ut si hæc à solo titulari ferri deberent, proventus Beneficii nimum diminuerentur, indubie, non obstante hæc clausulâ, pensionarius ad partem onerum ferendam merito vocaretur; vel saltem ob hæc onera, diminutio sive moderatio aliqua pensionis, ut minus durantibus his oneribus, peti posset; præsertim si pensio sit *realis* solvenda ab eo, qui pensioni non consentit: neque beneficium sub conditione solvendæ pensionis accipit: ipsaque onera sint extraordinaria: ut judicatum refert Torneius loco citato *n. 86.*

IX. Deinde in litteris pensionis additur, ut solvatur mediatum in Nativitate Jesu Christi, & Nativitate Joannis Baptistæ, secundum notorium & vulgarem stylum Curie, uti notat Gigas De Pensionibus *q. 93.*

X. Sed "quia hæc decisio terminorum fit causâ commo- dioris solutionis, non prohibentur Resignans & Resignatarius plures terminos, etiam ultra duos constituere ad eorum libitum; prout indies praticari videmus," ait Pyrrus Corradus in Praxi Benef. *lib. 5. cap. 7. nu. 18.* notatque prædictam clausulam in litteris solere apponi, quando termini solutionis in supplicatione non fuerint expressi.

XI. Utque promptior & securior sit pensionis impositæ termino constituto solutio, additur ex stylo Curie hæc clausula: *Ac volentes & eadem auctoritate statuentes quod ille N. vel quicumque alius successor qui in dictis festivitibus, vel saltem intra 30. dies illarum singulas immediate sequentes pensionem prædictam per eum tunc debitam non persolverit, cum effectu lapsis diebus ejusdem sententiam excommunicationis incurrat, à qua donec tibi veleidem procuratori de pensione hujusmodi tunc debita integrè satis factum aut alias tecum, vel cum dicto procuratore super hoc amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo constitutus absolutiois beneficium nequeat obtinere.*

XII. Notat autem post alios citatos Garcias *De Beneficis parte 1. cap. 5. num. 581.* poenam excommunicationis non incurri, nisi Pensionario volente & declarante: "Nam, ut illis locus sit, requiritur voluntas & factum ipsius Pensionarii, in cujus favorem latæ sunt. Quinimò (pergit Garcias) ex stylo & benignâ interpretatione non incurritur excommunicatio, donec declaratoria sit data per judicem, & pensionarius ea utatur intimando illam adversario seu Parocho, aut ponendo cedulones, ut etiam servatur in aliis declaratoriis, tam auditoris cameræ, quam aliorum judicum.

XIII. In Gallia hæc clausula, quoad poenam *excommunicationis* ob non solutam suo tempore pensionem, habetur pro clausula *meri styli*: quin teste Fevretio *De Abusu lib. 2. cap. 5. n. 29.* judicatur *abusiva*: ostenditque Broudaus in notis ad Lovetium *Litt. C. num. 31.* aliquando quidem consuetum fuisse, ut Ecclesiastici per *censuras* ad solutionem debiti etiam *civilis* urgerentur; sed eam consuetudinem jam pridem esse abrogatam. Quod & praxi Belgicæ consonum est, uti ostendetur infra *parte 3. titulo De Censuris.*

XIV. Post clausulam continentem poenam excommunicationis sequitur: "Si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes sententiam ipsam animo (quod absit) sustinuerit in durato, ex tunc effluxis mensibus eisdem dicto beneficio perpetuò privatus existat, illudque vacare censeatur eo ipso, tibi que liceat ad eam beneficium liberum habere regressum: & liceat tibi etiam vigore tui prioris tituli possessionem propria auctoritate apprehendere, ac si illud minime resignasses."

XV. De hac clausula continente regressum ad Beneficium

resignatum ob defectum solutionis pensionis plura habet Flaminius Parisius De Resignat. Benef. lib. 6. quæst. 3. ubi num. 12. advertendum dicit: quia non sufficit lapsus esse tempus, sed requiritur sententia declaratoria, quæ id declarat; asseritque hinc aliàs resolutum Rota, "quod clausula irritans in regressu ob non solutionem, non inficit possessionem, nisi post sententiam.

XVI. Observat suam num. 17. in Francia non admitti regressum ob non solutam pensionem; notatque Auctor Analys in Regulam Cancell. De public. refig. num. 212. "quod clausula illa de resolvenda resignatione, & revertendo ad beneficium resignatum ob non solutionem pensionis, nulla sunt & abusive, quia sunt species reservationis sive recursum, per decreta conciliaria generaliter & indistinctè damnata.

Idipsum post alios Pragmaticos Gallos asserit Fevretius loco citato num. 28. unà, monens, quod ab executione dictarum clausularum daretur appellatio tamquam ab abusive.

XVII. Ne tamen detur locus perfidia, si Resignatarius non solvat, condemnabitur ad solvendam promissam pensionem, vel in casum non solutionis adjudicabitur Resignanti regressus ad beneficium; sive condemnabitur Resignatarius ad solvendam vel cedendum; judicatumque dicit Brouardus in notis ad Lovæum lit. P. num. 30. quod resignans possit regredi ad Beneficium etiam post 20. annos à facta resignatione; tamen nec hæc clausula regressus fuisset in litteris appositæ; idque ob datam fidem à Resignatario de solvenda pensione, & facta beneficii acceptatione sub ea conditione. Vide quoque Tornesium in collectione Arretorum Litt. P. num. 88.

XVIII. Neque Belgica praxis pateretur, quemquam ob retardatam solutionem pensionis ad beneficium resignatum propria auctoritate regredi; aut aliquem ipso jure beneficio privati; sed coram legitimo judice ad solutionem pensionis agendum esset; qui postet Pensionarium ad promissam pensionem vel ad cedendum Beneficio condemnare.

XIX. Solet quoque apponi clausula, quod pensio annullari, reduci aut minui non possit: quæ clausula (ait Flaminius citatâ quæst. 2. n. 142.) multum prodest: nam eâ non obtentâ, decreta fructibus seu redditibus, & in aliis quibusdam proventibus pensio invalida redderetur, vel saltem ad minorem numerum reduceretur.

XX. Si tamen adeo sint diminuti proventus, ut Titulari non sufficiant ad victum solutâ pensione, reductionem peti posse, non obstante indulto quod reduci non possit; sentit Rebuffus De Pacificis Possess. num. 141. quod indubiè facilius obtinebit in eo, qui constitutioni pensionis non consensit. Unde & Garcias parte 1. De Benef. cap. 5. num. 402. dicit, quod appositâ prædictâ clausula reductio quidem fieri nequeat sine speciali commissione Papæ, sed addit: Quæ tamen solet dari præsertim SUCCESSORI.

XXI. Juxta Regulam Cancellariæ De Consensu in resignationibus & pensionibus, "nec litteræ assignationis etiam in motu proprio cujusvis pensionis annuæ super aliqujus beneficii fructibus expediti possunt, nisi de consensu illius, qui dictam pensionem persolvere tunc debet.

Hinc ex hodierno stylo apponitur clausula, pensionem solvendam per N. cuius ad hoc accedit assensus, & successores suos.

Ubi notandum quod solus assensus requiratur Resignatarii, ut fiat constat ex ipsâ Regula, quæ exigit consensum ejus qui pensionem persolvere TUNC debet: nimirum tempore impositionis. Clausula quoque idipsum manifestè insinuat: & praxis consonat, quæ successorum assensum non requirit.

XXII. Juxta modernum stylum Curia Romanæ solet huic regule derogari quoties beneficium confertur absenti-cum reservatione pensionis, præsertim quando ipse Resignans est pacificus beneficii possessor: quo casu Signatura

pensionis expeditur cum hac clausula: Et cum derogatione regula de præstando consensu in pensionibus attento quod resignatio sit in favorem, & Orator, qui verè, realiter, & pacificè possidet, aliter resignare non intendit.

XXIII. Quin & Papam posse mota proprio sine consensu Resignatarii alicui beneficio imponere pensionem, communis est Canonistarum sententia, uti post Flamium Parisium De Resignat. Benef. lib. 6. quæst. 2. num. 131. observat Chokier ad citatam regulam Cancellariæ. In Gallia tamen nec impositionem hujusmodi pensionis, nec derogationem admitti testatur Fevretius De abusu Lib. 2. cap. 5. num. 8. citatque ibidem antiquum Commentatorem Capituli Raynnum; De Testamentis, Guilielmum Benedicci, qui ibidem de Fidei commissariis substitutionibus parte 2. n. 56. ait: "Nullum onus imponi potest etiam per Papam super beneficiis & Dignitatibus Regni quocumque titulo vel nomine onus illud nuncupetur: vel ex quacumque causa vel colore & occasione directe vel indirectè: etiam prætextu cujusvis consuetudinis, privilegii, vel statuti, & si contra fiat, totum irritum erit." Plura ibidem & antiqua Regum Edicta, & Parlamentorum arresta his conformia citat.

XXIV. Notat Flaminius Parisius De Resignat. Benef. lib. 6. quæst. 2. num. 141. quod subinde apponatur clausula quod pensio debeatur, licet nullum jus cedenti competat; idque ad tollendas lites.

XXV. Hanc clausulam in Gallia non admitti monet Fevretius De Abusu Lib. 2. cap. 5. num. 11. atque ab ejus executione appellaretur tamquam ab abusive. Ubi enim pensio constituitur causâ cessionis, si nullum jus competat cedenti, cessante causâ pensio debet evanescere; uti ex Rebuffo refert Fevretius; qui & ibidem ex Auctore Analys in Regulam Cancellariæ De Publicandis resignat. n. 213. addit, "Pensio per Papam, etiam de consensu partis, ad commodum ejus, qui nullum habet nec præterit jus in beneficio, constitui non potest. ... Nec in hoc Regno toleratur, sed appellaretur tamquam ab abusive, & abusive vum declararetur non obstante quacumque possessione, ut sæpe judicari vidi in hoc Senatu (Parisiensi) & in Senatu Rothomagensi anno scilicet milliesimo vigesimo primo.

XXVI. "Quamvis de jure in resignatione beneficii, vel impetratione pensionis non requiratur expressio temporis per quod Resignans possederit beneficium, servat tamen quandoque Dataria Apostolica, ut quoties resignatur beneficium, quod personalem residentiam requirit, & super illius fructibus reservatur aliqua pensio, non admittatur resignatio, nisi in supplicatione exprimat per quod tempus Orator illud possideat, quod si breve est rejicitur supplicatio, vel in calce ipsius respondetur, Resignet absque pensione; sicut etiam vidimus idem praticari in permutationibus similibus beneficiorum, cum aliis nullam residentiam requirentibus.

Hæc Pyrrus Corradus in Praxi benef. lib. 5. c. 1. n. 12. testaturque ex moderno stylo requiri in resignatione, præsertim cum pensione, beneficii Parochialis aut alterius residentiam requirentis ad minus trium annorum possessionem; quamvis ante requirerentur septem vel sex anni, uti notat Garcias De Beneficiis parte 11. cap. 3. num. 48.

XXVII. Duplici ratione nititur hic stylus uti advertit Pyrrus loco citato num. 19. "Quarum altera est, ad coercendas frequentes hujusmodi Parochialium Ecclesiarum resignationes: quandoquidem neminem latet, ex continua mutatione Rectorum, præsertim Parochialium Ecclesiarum, Ecclesias non modicum pati detrimentum.

Alterâ ratio est (ait num. 10.) ad repellendas illicitas negotiationes quæ possent committi à Resignantibus: qui propterea tales Ecclesias quandoque assequuntur, ut postea aliis illas resignent.

XXVIII. Additque stylus Curia habere, ut in quocumque beneficio sive Curato, sive simplici cujus collatio spectat ad Papam, & Orator sit præsens: si velit litteras expediri

diri in forma gratiosa, & consequenter examinari ab examinatore Urbis, ab illis, sive Notario recipiatur juramentum, quod ipse Orator tale beneficium non assequitur animo illud resignandi.

XXIX. Simile quod observatur in Facultate Artium in hac Academia. Nominandi enim vigore privilegiorum jurant: "Quod infra annum unum ab obtenta pacifica possessione personaliter in ea residebo, nec eam (curam Pastoralem) resignabo, nisi integro anno in ea resederim, aut aliam curam Pastoralem sine fraude & dolo obtinero.

Sanè quàm frequentes sint beneficiorum præsertim Canonice impetrationes, maxime quæ fiunt à simplicibus Clericis, non alium in finem, quàm ut ex illorum resignatione pensio aliquot millium florenorum distilletur, nimis notorium est.

XXX. Ad præveniendas hæc fraudulentas & fordidas beneficiorum impetrationes & resignationes, Edicto Regio anno 1671. in Gallia cautè est, quod nullus resignare queat beneficium Curatum aut Præbendam in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia, nisi 15. annis actualiter deservierit: nisi ex causa infirmitatis ab Ordinario cognita & probata, ob quam ulterius non possit beneficio deservire. Verba Edicti sunt: Vouloirs & Nous plait, que cy apres les Titulaires dans les Eglises Cathedrales, ou Collegiales, ne pourront les resigner avec reserve de Pensions, qu' apres les avoir actuallement deservies pendant le temp & espace de quinze années entieres, si ce n'est pour cause de maladie & d'infirmité connue & approuvée de l'Ordinaire, qui les mette hors d'estre le reste de leurs jours de pouvoir continuer de faire les fonctions & deservir leurs benefices. Id est: Volumus & sic Nobis placet: ut posterum Titularibus in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis resignare beneficia non liceat, reservatâ sibi pensione, nisi actualiter quindecim annorum expleto tempore inservierint, nisi ratione morbi aut infirmitatis notæ & ut talis ab Ordinario agnita, quæ ad vitæ residuum inhabiles illos reddat, ut functiones suas continuent, aut beneficia sua deserviant.

XXXI. Quamvis hæc ordinationes non ubique vim legis obtineant, nihilominus in quantum tendunt ad impediendas fraudulentas & injustas resignationes, & quos unum impetrationes merito attenduntur ab iis, penes quos auctoritas admittendi pensiones, aut earum rescripta probandi, residet: ut quantum in ipsis est, similes fraudulentis pensionum distillationibus limites figant & remedium adhibeant.

XXXII. Hodie quoque admodum frequens, ut quis plura beneficia, etiam incompatibilia impetret; quæ dum simul retinere nequit quoad titulum, retinet quoad partem saltem proventuum, nimirum retinendo unum, & resignando alterum sub pensione.

Cui abusui occurrit Parlamentum Parisiense per Arrestum 10. Februarii anno 1667. injungendo iis qui possident plures Canonicatus, ut unum optent, nec alios possint pensionem gravare. Cujus Arresti memini supra lit. 20. cap. 4. num. 16.

CAPUT IX.

De Extinctione, Translatione, & Redemptione Pensionis.

1. Pensio extinguitur morte Pensionarii.
2. Secundo per matrimonium Pensionarii.
3. Tertio per professionem Religiosam.
4. Modis prædictis non extinguitur si data sit cum facultate transferendi; & quid sit translatio?
5. Hæc facultas tribus modis conceditur.
6. Pensionis translatio odiosissima, & quare? Van Espen Jur. Eccl. P. II.

7. Aliquando facile datur facultas transferendi.
8. Hodie clausula cum facultate transferendi denegatur in Italia, & difficulter conceditur extra Italiam.
9. Translationes ignota in Belgio, nec admittuntur in Gallia.
10. In Gallia non potest permutanti servari pensio super alio Beneficio quam permutato.
11. Secus de stylo Curia Romana.
12. Quid pensio de consensu?
13. Hæc pensio in Belgio & Gallia incognita.
14. Pensio extinguitur per liberam Pensionarii remissionem.
15. Potest fieri sine auctoritate Superioris.
16. Frequens hodie pensionis redemptio & extinctio per anticipatas Canonum solutiones.
17. Sæpe fit auctoritate Pontificis; & qua sit supplicationis formula?
18. Numerus anticipatorum Canonum non est determinatus.
19. Cavetur sollicitè ne pretium exprimat, ad vitandam Simoniam.
20. Anticipata hæc solutiones solent pretio pensionis annuæ adequari.
21. Etiam hoc modo accipientes summam pecunia sæpe sunt Simoniaci.
22. Ex profano modo conveniendi super his anticipatis solutionibus evincitur subesse Simoniam.
23. Conventio de redimenda pensione est Simoniacæ.
24. Pro extinctioe pensionis sola Signatura sufficit.
25. Quæ hujus styli Curia Romana ratio?
26. Redemptio pensionis magis de Simonia suspecta, quam pensio.
27. Nullam redemptionis apud Veteres vestigium.

T Ametsi pensio non sit propriè Beneficium, tamen pensiones illas hodiernas quæ ex causa permutationis, resignationis, vel cessionis reservari solent, esse loco Beneficii, & quasi in locum Beneficii resignati sive cessi succedere, communiter notant Canonistæ.

Atque imprimis pensio id habet cum Beneficio commune, quod non nisi ad vitam Pensionarii, admittat beneficium dari solet. Unde & morte naturali eam extingui nemo dubitat.

II. Ulterius hujusmodi pensio juxta hodiernum stylum requirit in pensionario, non secus atque in beneficiato, Clericatum; nec pensio alteri quàm Clerico dari potest, ex Constitutione Sixti V. quæ incipit, Cum sacrosanctam 92. in Bull. R. statuente, ut in futurum non nisi actu Clericis in habitu Clericali & tonsura incedentibus pensiones reserventur.

Hinc ulterius concludunt Canonistæ, praxi comprobante, pensionem extingui per contractum Matrimonii, quemadmodum amittitur beneficium; idque ex usu Curia Romanæ servari tradit Gigas De Pensionibus quæst. 54.

III. Similiter sicut beneficia vacant per professionem in Religione, ita quoque pensio vice beneficii resignati reservata extinguitur per professionem, ex recepta Doctorum sententia & notoria praxi.

IV. Hæc autem procedunt, nisi pensio sit data, sive reservata cum potestate transferendi.

Translatio autem pensionis communiter definitur, Mutatio obligationis (passive nimirum) pensionem solvendi de una persona ad aliam auctoritate Papæ facta. Ita Flaminius Parisius De Resignat. Benef. libro 6. quæstio 4. numero 4.

V. Translatio autem hæc, sive potius transferendi potestas dari solet tribus modis, ut monet Flaminius Parisius ibidem.

Primo obtentâ clausulâ transferendi in ipsâ pensionis reservatione